



**Disputatio de clauibus, aliquot thesibus ex dicto Seruatoris  
Domini, Matt. XVI. Dabo tibi claues Regno coelorum, &c.  
extracta & preposita.**

<https://hdl.handle.net/1874/428358>

DISPUTATIO DE  
CLAVIBVS,

ALIQUOT THESISIBVS EX  
dicto Seruatoris Domini, Matt. XVI. Da-  
bo tibi clauēs Regni cœlorum, &c.  
extracta & preposita.

QVAM DIVI-  
NA FAVENTE GRATIA,  
PRAESIDE THEODORICO SNEP-  
fio Doctore, & Professore Theologo, in Academia  
Tubingensi, pro ingenij viribus ad diem  
22. Martij Ann: LXXXVI. in au-  
ditorio Theologorum, defen-  
dere conabitur,

M. MARTINVS CVRBIN,  
Schorndorfensis:



TUBINGAE,  
Apud Alexandrum Hockium, Anno 1586.

EXTRACT

OF THE

PROCEEDINGS

OF THE

LEGISLATIVE

ASSEMBLY

OF THE

STATE OF

NEW YORK

FOR THE

SESSION

OF 1860

AND

1861

IN

THE

# DISPUTATIO DE CLAVIBVS, EX XVI. CAP. MATTHEI.



Christus Opt. Max. cum aliorum opinio-  
nes de se audiuisset percenseri, interro-  
gavit Apostolos, quem vos me esse dis-  
citis?

Matth. 16.

2. Petrus nomine omnium, quibus  
seruator loquebatur, respondens, dixit:  
Tu es CHRISTVS ille filius Dei viventis.

3. Huius confessionem commendat Christus, di-  
cens: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis  
non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cœlis.

4. His verbis Dominus amplissimam promissio-  
nem de clauibus subiecit.

5. Ego, inquit, vicissim tibi dico, quod tu es Pe-  
trus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &  
portę inferorum, non valebunt aduersus illam. Et dabo  
tibi clauis regni cœlorum. Et quicquid alligaueris in ter-  
ris, erit alligatum in cœlis: & quicquid solueris in terris,  
erit solutum in cœlis.

6. De hac promissione Seruatoris, quia variam inter-  
pretationem habet, multi etiam eam perperam exponunt,  
ipso Domino nos iuuante, in hac disputatione agemus.

7. Principio autem non adducamus in contemptum  
illa verba Christi, cum clauum mentionem facit: quia a-  
lias nomine clauium, nihil est vulgatius & notius.

8. Nam cum Christus verè sit maximus, sapientia  
patris, non nisi de rebus maximis loquutum, existis  
memus.

9. Sed ut in Christi Domini omnibus actionibus & dictis, elucet το φιλενδοσυωωω, ita in eius omnibus sermonibus singularis comitas affabilitasq; cernitur.

10. Etenim cum ipsa sapientia, non dedignata fuerit, nos ex alto visitare, noluit Angelorum, vt cum Apostolo loquamur, linguis loqui: sed ad familiarem & vsitatam dicendi rationem descendit: Quemadmodum parentes propitij hæsitantiam puerorum infantium imitantur.

11. Delectatus imprimis est similitudinibus etiam e triuio arreptis, quæ & obuiæ sunt omnibus, & suauitatem coniunctam cum vtilitate habent: nam ad rerum etiam obscurissimarum intelligentiam, perspicuitatem singulari rem afferunt.

12. Loquiturus ergo Dominus de rebus longè omnium maximis, pertinentibus ad salutem animæ nostræ, clauis Apostolis promittit, vt elegans illa Metaphora, non modo attentionem, sed studium, etiam singulare in ipsis excicaret.

13. Videtur autem Seruator Dominus, hac figura clauium idcirco delectatus, quia Prophetæ de Christo vaticinantes, inter alia dicunt, eum aperire carceres, de quo postea dicitur.

14. Erunt ergo illæ clauis maximi momenti, quas ipse se Dominus tanta verborum suauitate nobis comendat.

15. Sed quod ea vulgares non sint, ostendit ipse Seruator: Nam dicit: se dare Petro clauis REGNI COELORVM: non obscure significans, se non de re per vulgata, sed cœlesti verba esse facturum.

16. Habet etiam hæc Metaphora aliud quiddam in recessu: nam cum Dei filius cœlitus nobis clauis afferat, ostendit, hominibus clausum esse cœlum: eosq; exulare à regno Dei nisi exoptatas illas clauis aperiendis cœlis inueniamus.

Nec est

*de clauibus*

17. Nec est quod Dei hac in parte seueritatem accusemus: Nam non ipse, sed nos ipsi nos exclusimus.

18. Etenim cum Adam & Heua clauis ad Dei penetralia & maiestatem, ut ita loquar, quærent, hoc est, diuinos honores affectarent, veras clauis Domini & eminentiæ suæ amiserunt: Nam non solum imaginis Dei iacturam fecerunt, sed statim à paradyso exulare fuerunt coacti, & oppositus Angelus custos, gladio flammeo, aut fulmine potius prohibens eos aditu horti, ne per arborem vitæ recuperarent id, quod amiserant.

19. Et sane Protoplastæ non suo duntaxat malo, sed totius posteritatis in triste illud exilium eiecti sunt.

20. Nam propter lapsum primorum hominum, omnes mortales à regno Dei exulant: nisi clauis regni cœlestis, nobis à Seruatore Domino donatas, inuenerint.

21. Et nulla in his Dei iniustitia cernitur. Nam nos ipsi & seras fecimus, & obices pessulosque parauimus: quia exēplo illorū, peccatis nostris paradysum nobis clausimus.

22. Nam quia peccauius, iure & Deus & Diabolus nos accusant, ac aditu regni cœlestis prohibent: ille quidem, ut iudex iustus, hic autem ut accusator vehementissimus.

23. Imò nō modò regno cœlesti pessulum obdidimus, ut clauibus opus sit, sed nos in carcerem teterrimum cōiecimus: seruitutem Diaboli intelligimus, tristissimam illam, in quam, se omnes, qui peccant præcipitant.

24. Et hæc idcirco dicimus, quia Seruator Dominus vinculorum tacitam mentionem facit, cum soluendi & ligandi meminit.

25. Est enim genus humanum & cœlis exclusum, & carceri Diabolico inclusum, exulans ab æterna felicitate,

*Disputatio*

& certissimū precipitiū ad æternos cruciatus expectans.

26. Quis autem nobis exitiales illas seras aperiet? quis vincula peccatorum soluturus est?

27. Non est certē humanarum virium: Nam repagula, vtdiximus, sunt peccata: quæ nullis humanis viribus, nullo conatu, quantumuis magno, aperiri possunt

28. Manentibus autem seris, clausum manet cœlum, clausus est carcer.

*Ephes. 2.  
Esa. 53.*

29. Nam quod nemo possit aperire illa repagula, certum est: quia omnes natura sumus filij irę. Non est iustus, ne unus quidem: omnes errauimus sicut oues &c.

30. Nec Moyses doctrina legis remouere obices illos potest.

31. Nam ut pueri, propter virium imbecillitatem, quamuis clauem habeant, tamen seras fortiores aperire nequeunt: ita cum lex non tantum externam obdientiam, sed mundiciem etiam internam flagitet, homines autem ea præditi non sint, nec Deo satisfacere, nec à cœli limine remouere obstacula possunt.

32. Imò verò si Paulo credimus, Moyses sua doctrina ita non patefacit nobis ianuam cœlestem, vt fortioribus etiam repagulis muniat, nosq; omni cœlorum aditu prohibeat.

*Gal. 3.*

33. Ideo enim Paulus dicit, scripturam omnia conclusisse sub peccatum: intellige sub legem, vt omnium miseretur. Et ad Romanos tertio, idem Apostolus testatur, omnium hominum ori admotas seras, vt ad defensionem muti sint.

34. Scimus inquit quod quæcunq; lex dicit, his qui in lege sunt dicat, vt omne os **OBTVRETVR** & obnoxius fiat totus mundus **DEO**.

35. Quæramus ergò apud eum claues, qui solus dare potest:

*de clauibus.*

potest: videlicet Deum, cui soli peccauimus. Nam recte in Luca dicunt Pharisei, quis potest remittere peccata, nisi Deus solus?

*Psal. 51.*

36. At verò cum nostra nos indignitas ab accessu patris arceret, Christus venit, coelitus nobis claues afferens, quibus & carceres & coelum aperit.

37. Hoc voluit Christus cum Petro dicit, se **DATV-  
RVM** claues: ostensurus à nemine illas, quàm ipso Do-  
mino, peti posse.

38. Hoc intellexit etiam in Ioanne cum inquit, nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit è coelo, filius hominis qui est in coelo.

*Ioan. 3.*

39. Quis enim rectius nobis coelum aperiat, quàm is, cui est data omnis potestas in coelo & terra? imò is, qui est ianua coeli: quod etiam per scalam Iacob est significatum. Et testatur hoc ipse seruator. Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruetur. Et Ioannis 14. Ego sum via, veritas & vita.

*Gen. 28.*

*Ioan. 10.*

40. Quod Christus Dominus sit allaturus illas felices claues, luculenter testati sunt Prophetae Esaia cap. 4. Et Deus sic loquitur filio. Ego Dominus vocaui te, vt aperias oculos caecos, vt educas è carcere vincitum, è domo carceris sedentes in tenebris. In eandem sententiam vaticinatus est Esa. 49. Dabo te in foedus populi, ad suscitandum terram, adhaereditare faciendum haereditates desolatas, ad dicendum vincitis, exite, & his, qui in tenebris sunt, manifestate vos.

41. Et idem Propheta Christum sic loquentem inducit: Spiritus Domini super me, eò quo vnxit Dominus me: Ad nunciandum mansuetis, misit me, vt alligarem contritos corde, vt praedicarem captiuis libertatem, & vincitis apertionem carceris,

*Esa. 61.*

42. His



Zach. 9.

42. His est *quod* *quod* Zacharias. In sanguine foederis tui emisi vinctos tuos de cisterna, in qua non erat aqua.

Apo. 3.

43. Hoc etiam repetere ex illa antiquitate velle Iohannes in Apocalypsi videtur. Hæc inquit sanctus & verax, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.

44. Videmus ergo, iam olim hoc beneficium clauis, & liberationis e carceribus à Prophetis fuisse prædictum.

Matth. 9.

45. Et quod Christus possit soluere illa vincula, & aperire obices peccati, ipse testatus est, cum dicit Paralytico, Confide filii remittuntur tibi peccata tua. Deinde hoc ipsum facto confirmavit, cum Paralytici soluta membra, solo imperio ita & recrearet & confirmaret, ut ille statim portare lectum, cui antea affixus fuerat, posset.

Matth. 20.

46. Idcirco etiam Iohannis 20. dicit discipulis. Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumque retinueritis, retenta sunt.

Aug. cont. Iulia.

47. Recte etiam dixit D. Augustinus. Nemo tollit peccata, nisi solus Deus: qui est agnus tollens peccata mundi.

48. Ut autem constat solum Christum patefacere nobis coelum, ita certum est, eum GRATIS aperire: non enim exigit à nobis satisfactionem, aut compensationem.

49. Idcirco dicimus, absolvo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: aut, absolvo te in nomine Domini nostri Iesu Christi, significaturi, hoc beneficium, non à nostra aliqua dignitate, sed Domini beneficio duntaxat proficisci.

50. Ipse enim solus sanguine suo inexorabiles illas series aperuit, & in sanguine suo eduxit vinctos e lacu, in quo non erat aqua.

*de clauibus.*

51. Perperam ergo sentiunt Romanienses, qui clauem ex dignitate confitentis metiuntur: tum enim clauem soluentem certam esse volunt, quando quis satis doluerit: & recte fuerit confessus: cum autem de eo nemini constare possit, incertum est, num clauis solutionem peccati attulerit, vel confitentem obstrinxerit.

52. Hoc autem est euacuare vim omnem clauium: nam erunt ea, hac ratione, semper cum dubitatione & haesitatione coniuncta: & propterea consolationem solidam allaturae non sunt.

53. Pugnant etiam illa cum promissione Christi, qui vult nobis persuasissimum esse debere, eos qui in terris soluti sint, in coelo etiam liberos esse.

54. Nam Christus has clauem in Euangelio & Sacramentis suis nobis proponit: & quodcumque id annuncietur, & nobis remissio peccatorum promittitur, usus illarum clauium cernitur.

55. Vt autem iubemur fide apprehendere omnes promissiones diuinas, ita in primis illae clauem fide amplectenda sunt, & in verbo Christi acquiescendum.

56. Has autem clauem in verbo suo expressas, Dominus Ecclesiae suae tradidit, vt habetur hoc Matth. 18. Quaecumque alligaueritis &c.

57. Neque enim clauem secum abstulit, vt deus diuinae re duntaxat nos oporteret: nec in obscura aliqua & recondita deliberatione posuit, sed potestatem earum Ecclesiae tribuit.

58. Estque haec non modo Petri, sed reliquorum Apostolorum & piorum doctorum functio, vt his clauibus priuatim & publice, ad solatium pauidarum conscientiarum vtantur.

59. Quarum tanta vis est, vt, quod Ministri ex ver-

*Disputatio*

bo DEI, in terris pronunciant, ratum in caelis, iuxta promissionem Seruatoris, habeatur.

60. De qua etiam re, nec Ministri annunciantes peccatorum remissionem vel retentionem, nec confitententes dubitare debeant.

61. Nam cum nobis illa annunciatur, ipsius Christi oraculum audiuius: qui voluit in nomine suo annunciari poenitentiam & remissionem peccatorum.

62. Et vt caelum & terra peribunt, verbum autem Domini periturum nunquam est, ita promissio illa per clauas facta, firma est ad perpetuitatem.

63. Hoc autem loco non est audiendus Papa, qui clauas soli Petro, & propterea etiam successoribus datas esse gloriatur. Et arrogat sibi immensam quandam potestatem condendarum legum, dispensandi, indulgendi, dominandi etiam Imperat: & regibus: imò talem, quae se extendat ad coelestia, terrestria, purgatorium & ipsos inferos. Nec dubitauit scribere Innocentius, & Hostiensis. Papae & Dei idem esse consistorium: & posse Papam scire omnia & facere, quae Deus facit, clauae non errante.

*Anton. Florent. in sua Summa.*

*Innocent. cap. quint. Hostie. cap: quanto de translatione: pnalatorum.*

64. Idcirco Clemens Sextus in sua Bulla de anno Iuliano mandat Angelis Paradyli, vt morientis in via Romam versus religionis causa animam, à purgatorio penitus absolutam, in Paradyli gloriam introducant.

65. Volunt etiam Pontifices suum in decretis errorem reformidandum esse, iuxta illud: Sententiae nostrae etiam iniustae, metuendae sunt.

66. Has Romani Pontificis *υπερβολαι* siue nugas, non modo sacrae literae, sed antiquitas etiam, magna ex parte, refutant.

67. Et si enim D. Petrus inter praecipuos Apostolos habetur,

habetur, & a D. Paulo cum Iacobo & Ioanne, Aposto-  
lis columna Ecclesiae dicitur, tamen potestatem reliquis  
maiolem non habet.

*Gal. 2.*

68. Etenim in illo ipso colloquio, de quo agimus,  
Christus non solum Petrum, sed reliquos, etiam Apos-  
tolos, allocutus est. Vos, inquit, quem me dicitis esse? cui  
nomine omnium Petrus respondet. Tu es Christus ille  
filius Dei uiuentis.

69. Quis ergo dubitauerit Christum promissionem  
illam suam de clauibus, omnibus Apostolis uoluisse esse  
communem.

70. Quaquam argumento, ad eam rem probandam,  
opus non est: cum Christus illam potestatem uniuersis  
Apostolis tribuerit.

71. Nam Matth: 18. Apostolis omnibus dicit: Amen  
dico uobis, quaecumq; alligaueritis super terram, erunt li-  
gata in caelo: & quaecumq; solueritis super terram, erunt  
soluta in caelo.

72. Ioan: etiam 20. cap: Apostolis congregatis, ita  
loquitur: Accipite Spiritum Sanctum, quoruncumq; res-  
miseritis peccata, remittuntur eis, quoruncumq; retinueris  
eritis, retenta sunt.

73. Hoc etiam uoluit, cum inquit, discipulis euntibus  
Emauntem: Sic oportebat Christum pati & resur-  
gere a mortuis tertio die, & praedicari nomine eius, poenitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes.

*Luc. ult.*

74. Nam cum annunciatio illa, remissionis peccato-  
rum, nihil sit aliud, quam clauis, de quibus agimus, haec  
autem omnibus Apostolis fuerit communis: uidemus  
Petrum principatum inter Apostolos nullum habuisse.

*Marc. ult.* 75. Sic etiam, cum Christus discipulos suos, in totum orbem ablegaret, vniuersis in mandatis dedit, vt annuntiarent Euangelium omni creaturae: eos, qui crediderint, & baptizati fuerint, saluos fore, qui vero non crediderint, condemnandos. Ex quibus luculenter cernitur, clauces regni caelorum omnibus Apostolis ex aequo traditas. Nam, vt supra fuit dictum, clauces in Euangelio ad salutem humani generis explicantur.

*1. Cor. 5.* 76. Ad eundem modum Apostolus Corinthiis scribit, nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos, rogamus pro Christo reconcilies mini Deo &c: Illa autem cum Deo reconciliatio, quid sit aliud, quam remissio peccatorum, & clauces, de quibus nunc agimus?

77. Ex his omnibus constat, eandem in soluendis & retinendis peccatis, omnium Apostolorum potestatem fuisse: & hodie etiam omnibus pijs doctoribus Ecclesiae esse communem.

*August. Tom. 3, De. Agone Christ: cap. 30.* 78. Sed nonnulli etiam inter Patres, (in quibus est D. Augustinus) testantur, Petrum, cum darentur ei clauces, sustinuisse personam vniuersae Ecclesiae.

*Hom. 50. in Ioan.* 79. Nam August. in Ioannem de his disertè scribit. Si in Petro non esset Ecclesiae Mysterium, non ei diceret Dominus: tibi dabo clauces: si enim Petro dictum est, non habet Ecclesia: si autem Ecclesia habet, Petrus, quando clauces accepit, Ecclesiam totam designauit.

*In Ioan. hom. 124.* 80. Sunt etiam illius authoris alia clariora, vt cum inquit interrogati essent omnes, solus Petrus respondet, tu es Christus: & ei dicitur, tibi dabo clauces, Quasi ligandi & soluendi solus acceperit potestatem: cum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam

sonam gerens ipsius vnitatis acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus.

81. Idem scriptor per Petram, non Petrum, sed Christum Dominum intelligit, qui est fundamentum Ecclesie sue. *Aug. con. lite. Petilia, lib. 2. cap. 108.*

82. Astipulatur etiam nobis Cyprianus Martyr. Hoc, inquit, erant vtiq; & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Et iterum, Episcopus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. En Cyprianus honorem etiam Apostolorum eundem fuisse dicit. *Cyprianus de simplicitate Prælatorum.*

83. Quod si Christus inter discipulos principatum alii quem esse voluisset, tum certe de ea re eos certiores fecisset, cum in extrema cœna contentio de primatu inter ipsos, & quidem acris, esset exorta.

84. Ita verò eos alienos ab hac ambitione esse voluit, vt diceret, qui maximus sit, minimo inservire debere.

85. Et sic quidem demonstrauius, Romanenses contorquere scripturas, cum potestatis principatum soli Petro tribuunt.

86. Sed est alius etiam in hoc textu, Romanensium paralogismus, nam cum Christus dicit, QVICQVID SOLVERITIS &c. immensam quandam, vt supra diximus, ferendi leges, & dominandi potestatem sibi arrogant.

87. Neq; enim ligandi & soluendi potestas, ad vniversum genus auocanda, sed restringenda est, secundum Euangelium Christi, & eius mandatum.

88. Diligenter enim cauendum est, ne potestatem aliquam somnietur, ab Euangelij prædicatione separatam.

89. Ipse autem Christus alibi disertè explicat, quid *IOAN. 20.*  
vouerit,

*Disputatio*

voluerit, cum diceret, quicquid solueritis &c. quorum-  
cunq; inquit, remiseritis peccata, remittuntur eis &c:  
ostensurus solutionem illam, in peccatorum remissione  
positam esse: non in libera quadam, quæ cancellis nullis  
circumscrip̄ta sit, potestate.

90. Legum ergo condendarum & principatus, qua-  
lem Papa sibi fingit, potestas à Christo tributa Ministris  
non est. Aliud enim est ligare, hoc est, à peccatis absol-  
uere, aliud, ferre leges, & omnibus dominari.

91. Verum sciant Ministri, ne in remissione quidem  
& retentione peccatorum, liberam potestatem à Christo  
concessam: sed eam ad doctrinam Euangelij & Christi  
mandatum alligatam esse.

92. Dedit autem Christus Ecclesiæ duplices claves,  
ligantem & soluentem, vt habent verba Seruatoris Do-  
mini.

93. Hanc ipsius Domini partitionem retineamus:  
nec alias distinctiones, de ingenio humano confictas, ad-  
mittamus.

94. Nam eæ in illarum doctrinarum ordine collo-  
candæ sunt, quæ Matth. 15. à Christo Domino damnan-  
tur: frustra, inquit, me colunt, docentes doctrinas, præ-  
cepta hominum.

95. Clavis autem soluens potestas est Ecclesiastica,  
qua resipiscentibus annunciatur in nomine Iesu Christi,  
remissio peccatorum, quæ vocatur absolutio.

96. Clavis ligans est potestas, qua impœnitentibus  
peccata retinentur, ipsi ab Ecclesia excluduntur, & ira  
Domini, æternæq; damnatio, nisi resipiscant, denunciatur.

97. Eæ claves & ad soluendum & ligandum ita sunt  
certæ, vt de ijs, earumq; effectione dubitare nemo debet  
ar: Nam promissiones & cominatioes diuinæ certæ sunt.

98. Non

*de clauibus.*

98. Non ergò sunt probanda, quæ Pontifices afferunt, de clauæ errante.

99. Nam si aliqua est in clauæ erratio, aut dubitatio, ea cum salutis nostræ dispendio coniuncta erit.

100. Etenim nullum peccatum infidelitate maius est: quod si in clauibus etiam dubitatio admittetur, non modo usus clauium omnis euanesceat, sed fides nostra, & quies animorum periclitabitur.

101. Verum de eo supra egimus, cum de veris clauium rationibus ageremus: & ostendimus etiam, eas non ex dignitate nostra, sed Christi merito æstimandas esse.

102. Euerfa ergò hac ratione, sunt omnia, quæ de clauæ errante, olim dicebantur.

103. Cum autem eiusmodi distinctiones Papistarum repudiamus: non damnamus tamen illam vulgatam, ubi absolutio in publicam & priuatam distinguitur.

104. Nam cum publicè vniuersis remissio peccatorum annuncietur, publica, cum priuatim proponitur, priuata absolutio vocatur.

105. Publicam eam vocamus, ubi è sacrosancto Euāgelio, omnibus poenitentibus, venia & remissio peccatorum nunciatur.

106. Et contra publicè etiā damnatio indicitur impoentibus, cum decretum Domini de ijs proponitur: Quoties enim in publicis congressibus, de ira Domini, aduersus impoentes dicitur, omnes & singuli, qui sese peccatis dederunt, nec ad impetrandam veniam aspirant, in conspectu Dei excluduntur: etiamsi ceremonia nulla exclusionis accedat.

107. Publicæ & priuatae absolutionis exempla extant in sacris: nam Christus Paralyticum priuatim absoluit, cum dicit: Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.

Et



Et Luc. 7. absoluit mulierem peccatricem. Paulus Asiaticis dicit, se docuisse publice, ac per singulas domos, testificatum Iudæis simul & Græcis, eam, quæ est erga Deum, pœnitentiam ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Iesum Christum.

108. Actorum secundo Petrus publice ingentem hominum multitudinem absoluit.

109. Ergo exemplo Apostolico, utraq; absolutio recte in Ecclesia retinetur.

110. Et sane publica illa absolutio, valet ad multos exhilarandos & recreandos. Nam si in historijs legimus, quanta hilaritate homines promulgationem externæ pacis perceperint, maiore certè gaudio perfundi debent, cum audiunt, se Deo per sanguinem Christi reconciliatos: & æternam pacem partam esse.

111. Iam verò priuata absolutio, pauidas conscientias maiorem in modum erigit, nam ea, quæ consolandi gratia priuatim nobis annunciantur, plus nos mouet, quam publica.

112. Habet & hoc commodi priuata absolutio, ut in illa amica collatione, homo perturbatus, & nomine peccatorum trepidus, remotis arbitris, curam, sollicitudinemq; suam, effundere in sinum pastoris audeat, & consolationem solidam e verbo Dei ab ipso audiat.

113. Et cum hæc clauces vocentur clauces regni cœlorum, intelligimus fructum earum esse vitam æternam: nam remissionis peccatis, aditus nobis patet ad vitam sempiternam.

114. Habent etiam clauces ligantes suam utilitatem: nõ enim idcirco à domino impœnitentes ligantur, ut perpetuò in illis vinculis, ipsis manendum sit, sed ut cupiant à vinculis Diaboli, in quæ se induerunt, hoc est, peccatis, liberari.

115. Non

115. Non enim vult Dominus mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.

116. Et de hoc suo consilio nos fecit certiores, cum in Hieremia de comminationibus suis loquitur. Repente, inquit, loquar aduersus regnum, vt destruam illud, si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego poenitentiam, super malo, quod cogitavi, vt facerem ei.

*Esiere. 18.*

117. Ergo in ipsa seueritate, quam Dominus in vinculis illis Spiritualibus ostendit, ipsius etiam aliqua ratione, clementia cernitur.

118. Videmus etiam in Paulinis Epistolis quod vtile fuerit, incestum illum ab Apostolo ligari: nam ea tristitia, quam Corinthij ex seueritate Paulina conceperant, sollicitudinem, satisfactionem, indignationem, timorem & desiderium, imò, vt paulò antè dicit, poenitentiam ad salutem perperit.

119. Quis autem non magni faciat clauis, cum omnes Angeli latentur, super vno peccatore poenitentiam agente: magis quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent poenitentia.

*Luc. 15.*

120. Notum autem ex tota mundi historia est, quam seuerè Dominus animaduertit in eos, qui poenitentia indigere non videbantur.

121. Inprimis autem singulare seueritatis diuinæ exemplum extat in Hebrais, qui clauis regni coelorum à Christo oblatas neglexerunt & contempserunt: & non considerarunt tempus visitationis suæ.

122. Cum autem de clauibus loquimur, circumstantiæ etiam obseruandæ & diligenter perpendendæ sunt: in quibus sæpè multumq; erratur.

*Disputatio*

*IOAN. 20.*

123. Nam certum est Christum in genere locutum, cum dicit: quicquid solueritis &c: quod alibi luculentius proponit. Quorumcunque remiseritis peccata &c.

124. Sed hoc duntaxat intelligendum est de ijs, qui nouerunt se vinctos esse: & cupiunt è vinculis liberari: sunt autem poenitentes, qui intelligunt, hactenus se laqueis Diaboli fuisse constrictos, cupiunt autem ex tertia rima ista captiuitate & seruitute eximi.

125. Nec satis est doluisse & agnouisse turpem seruitutem, in qua haeserimus, sed ad Christum, qui clauem habet & eius Ministros, quibus eas, vt diximus, tradidit, vera fide, confugiendum est.

126. Neque enim Iudas ille proditor, quamuis acerbissime deploraret sua peccata, & sanguinariam pecuniam cum confessione peccati publicè abijceret, fructum clauium vllum sensit: cum ad Dominum earum non auderet accedere.

127. Contra qui carceribus illis diabolicis delectantur, & per errorem, quem ipsis Satan persuasit, seruitutem peccati libertatem esse arbitrantur, nec de impetranda venia solliciti sunt, clauibus illis omnino non iuuantur.

*Matth. 3.*

128. Etsi autem non, qui ad veram illam libertatem elaborant, confiteri peccata debent, sicut non, qui à Ioanne baptizabantur, peccata confitebantur: tamè ab ijs singulorum peccatorum enumeratio exigenda non est.

129. Nam nullo Christi, qui claues tenet, mandato, vt hoc faciamus adigimur.

*De poeniten:  
dis: 5. cap. 1.*

130. Glossa iuris Canonici fatetur confessionem non mandato Christi, sed Ecclesiae institutam. Melius, inquit dicitur eam ( scilicet confessionem ) institutam à quadam vniuersalis Ecclesiae traditione, potius quam ex noui, vel veteris

veteris Testamenti autoritate. Hæc glossa. Referenda ergo erit cōfessio auricularis inter traditiones humanas: Scotus confessionem refert inter ἀγὰδες (nam scripturam nullam potest asserre) De quibus quid Christus pronunciet, habetur Matth. 15. cap. Certè Græci olim eam non receperunt, ne tamen hæreseos sunt accusati.

Gab. lib. 4.  
dis. 17.  
Gab. lib. 4.  
dis. 17. Et de  
pani. D. S.

131. Gratianus recensens opiniones multorum, quorum alij recitationem peccatorum necessariam, alij non necessariam senserunt, tandem hæc verba subiicit. Quibus autoritatibus, vel quibus rationum firmamentis, utraq; sententia innitatur, in medium breuiter exposuimus. cui autem horum potius adhærendum sit, lectoris iudicio reseruatur, utraq; enim fautores habet sapientes & religiosos viros.

cap. 1.  
De pani. D.  
1. C. Quamuis  
Quibus  
authoritati-  
bus.

132. Videmus ergo ante quadringentos annos (quo tempore vixit Gratianus) adhuc de cōfessione illa pontificia dubitatum fuisse.

133. Id enim quod Iacobus habet, confitemini alterutrū peccata vestra, de mutua reconciliatione dicitur, in qua errati nostri, quod aduersus proximum commissū est, libera confessio habetur: alioqui non ipsorum inter se, sed sacerdotis & confitentium mentionem fecisset. Et scholastici etiam nonnulli nolunt hoc testimonium referri ad confirmandam confessionem.

Gab. lib. 4.  
dis. 17. L. I. E.

134. Et Baptista in tanta confitentium multitudine, solus recitationem singulorum peccatorum audire non potuit: sicut nec Petrus in actis ter mille, quos absoluebat, de singulis est percontatus.

135. Et fieri non potest, vt omnia recitentur, cum David pietatis nomine celebris, dicat. Peccata quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.

psal. 11

*Disputatio*

136. Et Chrysoſtomus multis locis, inprimis autem scribens in Pſal. 50. vult confeſſionem fieri coram ſolo Deo. Si, inquit, confunderis alicui dicere, quæ peccaſti, dicito quotidie ea in anima tua: Non dico, vt confitearis conſeruo tuo, qui exprobrat: dicito Deo, qui curat ea.

Hom. 2. in Pſal. 50. 137. Et idem alibi ſic ſcribit: Repete coram Deo conſcientiam tuam, & explica: oſtende præſtantiffimo medico tua vulnera, & pete ab eo medicamentum: oſtende ei, qui nihil opprobrat, ſed humaniſſimè curret.

Hom. 5. de in compre- henſ. Dei natura contra Anomaos. 138. Non exigit peccatorum coram hominibus enumerationem: non vult paſtori monſtrari vulnera, ſed ſiſtadet id tacitis cogitationibus faciendum apud Deum: quod eleganter vocat repetere coram Deo conſcientiam, & explicare.

Aug. lib: confeſ. 10. 139. Sed neſcio, num elegantius illa propoſuerit Auguſtinus, cum in libris confeſſionum dicit, ſe confiteri Domino CLAMORE COGITATIONIS. Et ibidem: Confeſſio mea Deus meus, in conſpectu tuo: tibi tacite fit & non tacite: tacet ſtrepitu, clamat affectu.

140. Quod ſi eorum, peccatorum, quæ cum formidine & periculo hominibus proponuntur recitatio, conſulentibus tantis viris, ſoli Deo tacita confeſſione patefacienda eſt, tollitur Pontificiorum tyrannis, quam habent circa caſus, vt vocant, reſeruatos: vbi cognitio de maioribus noxis, Epifcopo, Archiepiſcopo, aut ipſi etiam Papæ reſeruatur. Vide Hoſtien: in ſumma lib: 1. Decret: ſub tit: de offi: delegati: § Quid per: ad officium, Et Nico. Boh. In trac: de poteſta: lega: N. 23. Item Ioan: Franciſ: de Pau: In trac: de viſita: in 3. ques: ſecun: parte N. 2. Inprimis autem vide Bullam Papæ Sixti quarti quæ data eſt Ann: Chriſti 1489. Ter: Cal: Ianua: quæ eſt inter alias extrauagantes conſtitutiones Apoſtolicas.

*de clauibus.*

141. Qua enim fiducia, qui singulorum peccatorum rationes accuratissimas Clericis debet, sua omnia peccata ei confessionario recitabit, quem sciat bona conscientia grauissima facinora, enunciare posse.

142. Quibus sanè in rebus periculum & vitæ, & existimationis, si in notitiam aliorum veniant: animæ autem, ipsorum opinione, præsentissimum versatur, si ex tua notitia vel vnum apicem submoueas, quem non reueles Sacerdoti: nam summum in talia silentio piaculum ponunt.

143. Quot autem animarū iacturam factam esse per tot secula existimandum est, vbi in tam ancipiti & periculosa confessione, silentium multis, occasionem ad desperationem præbuit.

144. Hæc autem omnino sunt aduersa clauibus, quæ, cum ad solatium & salutem à Christo datæ sint, ijs etiam, qui poenitentiam egerunt, sed verecundia quadam prohibiti nonnulla Ministrum celarunt, præcipitium sunt factæ ad interitum quod sanè serijs lachrymis deplorandum est.

145. Neq; enim in tam periculosa conscientia vincula induendi homines fuerunt, qui consolatione magis, quam eiusmodi terriculamentis erant & corrigendi & erigendi.

146. Pontificij autem cum clauibus coniunxerunt satisfactiones: nam ijs demum profuturas esse clares dixerunt, qui ad satisfactiones præscriptas post confessionem elaborassent, Quarū pleraq; etiam ridiculæ fuerunt vt nudis pedib: veste lænea incedere: silentiū tenere &c.

147. Sed vna in ratione omni clauium, Christi satisfactio est, qui vnica oblatione perfectos efficit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

*De poeniten:  
cap: 12. omnes  
vtriusq; Sexus*

148. Itaque etiam nos à satisfactione omnem dignitatem, quæ à nobis proficisci potest, remouemus.

149. Nec, ut supra diximus, æstimamus doloris acerbissimam, aut confessionis *æpibicæ*: nam in his relinqueretur dubitatio: inimica & perniciofa clauibus: in quibus certam & exploratam spem veniæ Seruator Dominus esse voluit.

*Tertull. de  
pæn. Cyp. Ser-  
mo. 1. de lap-  
sis ad popu:  
Antiochenū.*

150. Et canones pœnitentiales, quibus olim astringebantur homines, ad rationes disciplinæ Ecclesiasticæ pertinebant: nec erant compensationes pro delictis.

151. Nam lugubris vestis, lachrymæ & gemitus & suspiria &c: non erant is ornatus, quo Deo nos commendaremus, sed vna & sola vestis nuptialis, tincta sanguine & merito Christi, in illo tremendo iudicio valet.

152. Remoueamus ergo à clauibus omnem satisfactionem: cum Christus in expiandis peccatis nostris sociis suis laudibus ascribi neminem patiatur.

153. Ea autem satisfactio, quam ad emolumenta sua Pontifex Max: excogitauit, cum suas indulgentias venderet, turpissima est.

*1. Pet. 1.*

154. Nam quàm foedas nundinationes illas existimabimus, vbi Christi sanguis & meritum, ac claues pro mercede venduntur, cum tamen Petrus nos doceat, homines non auro & argento fuisse redemptos, sed pretioso

*Lomb. lib. 4.  
dis. 45.*

sanguine, veluti agni imaculati & incotaminati, Christi. 155. Nam si *uapçççççç* illa Pontificia defenderimus, multa absurda sequentur. Et sanè videmus hanc rem, Lombardum etiam permouisse: nam adfert hanc quaestionem, num in purgatorio pauper tantum iuuetur paucioribus subsidijs, quantum diues pluribus, tandem subiicit. Potest tamen dici, plura subsidia contulisse diuiti **CERTIOREM** absolutionem, non **PLENIOREM**.

156. En

*de clauibus.*

156. En confitetur Magister, præsidia defunctorum (in quibus etiam sunt indulgentiæ) efficere, vt in purgatorio clementior & breuior pœna diuitibus, quam pauperibus imponatur.

157. Quæ si locum haberent, Deus prauaricator & iniustus constitueretur, qui diuitibus propter pecuniam, vel in eleemosynam, vel indulgentias pontificias erogatam, faueret, pauperes autem, qui his subsidijs carerent, diutius in hoc teterrimo carcere & summis cruciatibus detineret. In quo tanta vis flammarum esse ab ipsis traditur vt si cum elementari igne cõferatur, noster emortuus, aut certè pictus esse ignis videatur.

158. Itaq; pecunia malis etiam artibus quæsita, plus coram Deo valebit, quàm hominis pauperis innocentia, qui ab hoc peccato auaritiæ alienus fuit.

159. Hæc autem è diametro cum Dei iustitia pugnant & proinde, vt impia, damnanda sunt,

160. Neq; enim clauis Christi mercenariæ sunt, & vel auro, vel argento comparari possunt: alioquin errauit Paulus, qui gratuitam remissionẽ tot verbis amplificat.

161. Et eruditè, sicut omnia, dixit LV THERVS, clauis non per opera, sed per fidem esse percipiendas: nam in his nullum nostrum meritum, sed sola Seruatoris clementia æstimatur.

162. Vt autem Christus perfectissimè omnium hominum peccata expiauit, & clauis regni cœlorum nobis inuenit, ita vsum clauium vult esse perpetuum: itaq; nõ ad tempora & momenta ille ad stringendus est.

163. Hoc voluit Christus, cum dicit septuagies septies, hoc est, sapissimè proximo remittendũ esse peccatũ: & quod non loquatur de privata reconciliacione, sed de clauibus, ex antecedentibus, vbi de clauibus agitur, intelligi potest.

164. Quare

*Lut. de clauib:*

*Matth. 18.*



*Disputatio*

164. Quare non recte olim in canonibus pœnitentis alibus reconciliatio pœnitentiũ cum Ecclesia, ad aliquot annos extracta fuit: nam factum est cum infinitarũ animarum detrimento: quæ cum vocem reconciliationis morte præuentæ, audire non possent, per metũ seuerioris iudicij, ad præcipitium desperationis, deturbatæ sunt.

*Vide Lomb:  
de pœni: &  
confessione.*

165. Animaduertit hoc Leo Papa: cum ita scribit. Tempora plenitudinis, habita moderatione, constituta sunt tuo iudicio: pro vt conuerforum animos perspexeris esse deuotos, pariter etiam habere debes ætatis senilis intuitum: & respicere periculorum quorumcunq; vel ægritudinum necessitates.

166. Sunt sanè quidam hæc in parte duriores, qui sæpius prolapsos, non statim in gratiam recipiendos iudicant: sed magna in eiusmodi iudicio cautio adhibenda est: nam peccantem aliquem vidisti, resipiscentem non vidisti.

167. Vt autem Iureconsultis placet, melius esse dimittere mille nocentes, quàm animaduertere in vnum innocentem: sic tutius est admittere eos, qui profitentur pœnitentiam, licet in his sint hypocritæ, quàm à beneficio clauium vnum verè pœnitentem repellere.

168. Quemadmodum in actionibus omnibus modus omnium est optimus, ita & in clauium vsu modus accurata diligentia obseruandus est.

*Matth. 18.*

169. Neq; enim statim ad excommunicationem processendum est, sed iuxta doctrinam seruatoris, si quid habet frater contra proximum, initio cum ipso conferat: deinde adhibito altero: postremo referat ad Ecclesiã: quod si non audierit Ecclesiam, sit tibi vt Ethnicus aut Publicanus.

170. Et sanè is, qui scandalum præbuit Ecclesiæ, prius

mum moneatur à suis pastoribus, vt poenitentiam agat.  
Quod si hæc admonitio non profuerit, referatur ad præ-  
sides Ecclesiæ illius.

171. Iam si ne hac quidem ratione ille emendabitur,  
Superintendentes id significant consilio Ecclesiastico,  
quod sustinet personam Ecclesiæ.

172. Postremo si quis neq; hos audierit, maturo con-  
silio aut accurata deliberatione habita, excludatur is ab  
Ecclesia. Nam & Apostolus exclusurus incoestum illum,  
vult hoc fieri cum consensu Ecclesiæ, aut certè presbyte-  
rorum; qui personam Ecclesiæ sustinent.

173. Et prodest etiam in eiusmodi, propter alios ad-  
hiberi ceremoniam publicam, vt significetur Ecclesiæ  
congregatæ hunc cum ad supremum gradum impoeni-  
tentia peruenerit, nec monitionibus vllis per interualla  
factis, locum reliquerit, de consilio publico, excommu-  
nicatum esse.

174. Arcendus etiam excommunicatus est à cœna  
Domini: & ne testis adstet ad Baptismum, prohibendus  
est: verum nequaquam auscultatione publica concio-  
rum priuetur.

175. Nam cum illæ commonefactiones, & ipsa etiã  
excommunicatio idcirco suscipiantur, vt impoenitens sa-  
netur, non est arcendus à congressibus publicis, ne me-  
dicina illa cœlestis ei eripiat.

176. Rectè dixerunt veteres, verbum esse vehiculũ  
Spiritus sancti, itaq; in eius diligenti auscultatione, incre-  
dibiles ad bene beateq; viuendum vtilitates expectandæ  
sunt: & proinde impoenitentes & exclusi etiam, aditu  
locorum sacrorum prohibendi non sunt: vt ne à cœlesti  
illa medicina excludantur.

177. Quando autem excommunicati resipuerint, &  
conuersionis

*Disputatio*

conversionis suae specimina dederint, publicè recipientes  
di, & reconcilian di Ecclesiae sunt.

178. Hac ratione, si secundū mandatum Christi, clas  
uibus & ligantibus & soluentibus, vsi fuerimus, nō du  
bitemus eas certas & indubitatas esse: & eam habere  
vim, quam Christus est pollicitus.

179. At contra, cum in excommunicatione à manda  
to Domini recedimus, nequaquam existimandum est,  
eas veras esse claves, sed de ingenio humano confectas,

180. Itaq; remouendi sunt in his affectus: pessimi in  
omnibus consultores: & cauendum, ne quis pretextu  
clauium ad exercendam vindictam & explendam cupis  
ditatem suam abutatur, quod à Multis est factum.

181. Etenim cum omnis hypocrisis exosa sit Domino,  
tum ea imprimis damnatur, quae ad tegumentum odij  
aut inuidiae, astute vsurpatur.

182. Et cum in omnibus, praecipitis con filij comes sit  
poenitentia, plurimum à quibusdam peccatur, qui non  
agitatis, non exploratis rebus, ad iacienda pro rostris  
etiam excommunicationis fulmina festinant.

183. Sunt autem illa Notha fulmina, quae non à To  
nante, sed mortali homine, non à rebus ipsis, sed volun  
tate hominum proficiscuntur: nec quis existimet, eas clas  
ues Domini esse claves, quae & sine Dei mandato & con  
tra charitatem vsurpantur.

184. Nam Christi mandatum est, ut agatur in initio cū  
peccatore: Nonnulli autem statim ad Ecclesiam prouo  
cant, & priuatam causam, publicam faciunt: non vsur  
patis ijs gradibus, quos DOMINVS praescripsit.

185. Sic etiam reprehendendi sunt, qui propter quā  
libet causam, etiam rei pecuniariae, aut aliarum offensa  
rum, ad excommunicationem prosiliunt, cum ea duntaxat

*de clauibus.*

taxat deploratis, & ijs qui post plures commonefactio-  
nes dociles non sunt, veluti extremum remedium, adhi-  
beatur.

186. Vt autem ijs, qui clauibus abutuntur, merito dam-  
nandi, ita Nouatiani ferendi non sunt, qui eas omnino  
tollunt: cum docent, lapsis veniam negandam esse.

187. Christus enim ipse, vt supra diximus, non sep-  
ties, sed septuagies septies esse remittenda peccata vol-  
uit.

188. Et Ioannes ijs etiam, qui peccauerint, veniam  
per mediatorem & aduocatum Christum promittit.

1. Io. 8.

189. Nec vllus homo seruaretur, si post alterum lap-  
sum venia peccatoribus negaretur: cum in momenta  
peccemus.

190. Rectè ergò ijs clauibus vtamur, quas Christus  
nobis attulit, non dubitantes, clauis de quibus agimus:  
esse potestatem cœlitus à Christo Ecclesiæ allatam &  
traditam, qua ex Euangelio pœnitentibus gratis pro-  
pter Christi meritum, remissio peccatorum annunciat-  
tur, impœnitentibus autem peccata retinentur.

191. Seruatori Domino nostro Iesu Christo: cuius so-  
lius merito, beneficium illarum clauium debetur, sit laus  
& gloria in omnem æternitatem, AMEN.

FINIS.



221471  
85216209 NOON

de claudis

tant de foras & si qui post plures commotiones  
ne doctor non fuit veluti extremum remedium adhibe  
deum.

127. Vultum si qui claudis adsumat, mentio de  
nandi in vultu facendi non fuit, qui eas ostendit  
collocat cum deore lapilli vultum negantem esse.

128. Christus cum ipse, ut supra diximus, non sepe  
dixit, sed sepe magis sapienter esse remittenda peccata vos  
dixit.

129. Et loannes in eius, qui peccantem vultum  
per medietatem & aduocatum Christum promittit.

130. Nec vultus homo sciant, si post aliam lap  
sum venia peccatoribus negantur: cum in momento  
peccamus.

131. Recte ergo iste claudis vultum, dicit Christus  
nobis nimis non dubitantes, claudis & quibus agitur:  
esse peccatorem certum & Christo Ecclesie illam &  
vultum, qui & Evangelio peccantibus hunc pro  
per Christi mentis, remissio peccatorum salutem  
vultum peccantibus autem peccata remittunt.

132. Beatorum Dominus nostro Iesu Christo: cuius for  
tissimus, I. nesciam illam claudis debet, illius  
de gloria in omnia seculorum AMEN

FINIS

